

V. Sine omni controversiarum notitia ne intelligi quidem Theologia, à nobis definita, potest.

VI. Theologia viæ à Theologiâ patriæ gradu tantum non essentiâ differt. I. Cor. XIII. 9. 10. 12.

VII. Theologia Catechetica, si sumatur, ut litera sonat, non est fundamentum conciliandi Photinianos cum Christianis & Papistas cum Catholicis. Hebr. VI. 1.

IX. Non datur Theologia Theoretica, voce pressius acceptâ ; qvia & principium Theologiæ proprium & medium assequendi finem Theologiæ utrumque, in definitione expressum, qvoad priorem analogicè, qvoad posteriorem univocè practicum est, II. Tim. III. 15. 16.

X. Dona in Theologo administrantia non semper coniuncta sunt cum sanctificantibus. Phil. I. 15. 16. 18.

XI. Theologus tamen notoriè impius plus sæpe destruit vitâ sceleratâ, qvam ædificat scientiâ orthodoxâ.

XII. Theologus Systematica hodie ita est necessaria, ut eâ carere nequeamus & impiè illa suggilletur.

XIII. Theologus, etiam irregenitus, non literam tantum, sed verum Christi & Spiritus S. sensum, præcisâ salutari applicatioe, ex Scripturâ haurire per Divinam gratiam potest. Luc. XII. 47.

---

*Diff. III.*

De

**Religione.**

I.

Una sola religio vera est & salutem præstat. Act. IV. 12.  
Matth. XII. 30.

II. Naturalis religio, qvâ & gentiles moratores salvati esse dicuntur, qvam & Prophetæ hodierni & Prophetissæ commendant, spectrum est in oculis Divinis. I. Cor. II. 14.  
Eph. II. 3. Tit. III. 5. 6. 7.

III. Nulla religio, publicâ professione hodie à Luterenâ separata, cum eadem in fundamento concordat.

IV. Religionum igitur Syncretismus, aut saltem tolerantia,